

2.

M(einhard) an die Äbtissin S.: dankt für eine doppelte Weinsendung, erkundigt sich, ob der König und die Regenten ihre Versprechungen gehalten haben und bittet um weitere Weinsendungen.
(1062 Mai—Juni.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 29.

Domne abbatisse S. in Christo dilectissime M. quod melius aut dici aut cogitari potest.

Ita me vestris beneficiis de die in diem occupatum redditus, ut quicquid vobis scribere proposui, totum in gratiarum actione consumam. Sed inter innumera illa, quibus me vobis hoc anno obligastis, nullum, ut vere fatear, gratius accepi quam vinum illud, quod circa natale Domini mihi transmissum esse voluistis. Erat enim hoc sincere caritatis erga me et optime voluntatis manifestum indicium, cum vos patria excedens tanquam pignus vestri tam generosi vini duas species in gemine caritatis typum mihi allegastis. Verum nunc oppido nosse velim, si vobis facile et ex sententia vestra iter illud provenerit^a, rex etiam et regni illi pedagogi si munifice vobis et dampna vestra et promissa sua persolverint. Quod si vobis pro voto meo e vestro honore et commodo omnia respondisse audiero, unice mihi letandum intelligo. Alterius porro, id est deterioris fortune omen Deus et pater misericordiarum averterit. Sed quia ingenua vestri liberalitas benevolentissime pudorem meum urget, ut aliquid a vobis postulem, tandem aliquando iussus et exoratus oro, ut penurie nostre in vino subventum velit. Videatur alicui me, qui tam nuda tam ieiuna petitione insistam, non tam petere quam impetrare. Sed profecto utrumque est et ego mendici persona^b gravor et vester idem generosus animus humiles ignobilesque illas preces fastidit. De filio vestro domno meo hoc solum interim scitote, quia optime valet. Cetera ipse, si inperatis ut veniam, prope diem vobis insinuabo.

2. ^a) provenerint c.

^b) personam c.